Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 413
Quelle:
Copyright:

Ord. Praed. fides, qui T. I. p. 203. peculiari ſtudio in illarum originem et autores inquiſivere, tertiis curis retractatas a *Conrado* ſuo *de Alemannia*, *de Media Civitate*, ſeu *Halberſtadienſi*; habent enim non loca nude tantum indicata, ubi Vox quaepiam in ſacris Libris occurrit, id quod primo praeſtitit *Hugo a S. Caro*, neque textus integros additos, quae deinceps *Johannis de Derlingtonia* et *Rich. de Stavenesby* opera fuit, ſed initia tantum textuum, quo rem reduxiſſe praedictum *Conradum* adfirmant, cujus nomen etiam in vetuſta Editione *ſ. l.* et *a. f.* quae Codici noſtro probe conſonat, comparet. Praemittitur nobis Monitum de uſu Operis, quod incipit: *Cuilibet volenti requirere concordancias in hoc libro unum eſt primitus attendendum. videlicet quod cum in primis concordancijs que dicuntur concordantie ſancti iacobi quodlibet capitulum in ſeptem partes diſtinguatur* &c. quod Monitum etiam in Editis v. g. *Spirae* 1485. f. comparet. Nota, *primas Concordantias Hugonis a S. Caro* dici *ſancti Jacobi* a Coenobio nempe Praedicatorum *Pariſino*, in quo compilatae ſunt, et in quo hodie longe alia compilantur. Ad calcem vaſti voluminis nobis legitur: *Expliciunt concordantie Deo Gratias Amen.* Et minio: *Edite a fratre N.* (Conrado Halberſt.) *Ordinis fratrum predicatorum in theologia Magiſtri.* Quae porro incrementa labor hic poſt multos alios ſucceſſu temporis per *Franc. Lucam*, et *Gaſp. Zamoram* ceperit, norunt, qui utuntur.

CCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 318. 8. min. per quinque columnas nitide exaratus, coloribus diſtinctus et olim a *I. Alex. Braſſicano* ad *Joh. Fabrum* delatus aliud eſt *Concordantiarum Biblicarum* Exemplar, ita ordinatum, ut cuivis voci ſerie alphabetica poſitae ſubjiciatur Liber et Caput, in quibus occurrit, addito numero, qui ad qualem Textus diſtributionem adpellet, nullibi exprimitur. Ita: U. 564

A a a.
Je. 1. c. XIIII. d.
Eze. IIII. 5.
Joel. 1. f.
Aamon.
II. paral. XI. c.
Aara.
I. paral. v. 6. &c.

Ex eo, quod ad ſuperiorem *Codicem* dixi, liquet, praeſentem ad prima *Concordantiarum* Tentamina pertinere, vixque jam ad certius aliquid perveniri poſſe, cum jam aevo ſuo *Antoninus Florent.* ipſemet Dominicanorum Sodalis T. III. *Tit.* 23. c. 11. §. 2. *Summae Hiſtor.* ſcripſerit: *A fratribus Ordinis compilatum fuiſſe* (Librum Concordant.) *non dubitatur, ſed a quo, non clare invenitur.*

CCXLVIII.